



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Humilitas vera quæ sit, & quomodo obtineatur: causæ quænam sint
humilitatis: humiliatio item quam sit necessaria. Can. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sentire quomodo de te ipso quisque debeat.

Ostentare sese nemine debere.

Honores, gloriam, hominum fauorem, & reliquas adulationes, seculi q̄ blandicias execrare, & toto corde fugere. De te non aliter sentias, quàm de homine superbo, mihi ingrato, erga me contumelioso: & propterea, si digna tibi retribuere, omnibus creaturis odio, ut potè quæ neq̄ terra, neque aere hoc digna es. Ideò semper pete à me misericordiam & gratiam meam, super nullo opere aut merito alio quiescens, sed in solo opere confidens redemptionis & misericordiae meae. Postula à me lacrymis & gemitibus, perfectam humilitatem, qua diligens nesciri, contemni, & vilis aestimari. Stude propterea etiam quam maxime potes, viliora quæq̄ ac humiliora amplecti, item abiectiora & quæ ceteri contemnunt, tam agenda, quam habenda eligere, quibusq̄ etiam vilissimis vilior te & indignam te iudicans. Nihil quod ostentationis gloriae ve habet aliquid, nihil quod quasi singulare in te possit prædicari (nisi vel necessitas, vel charitas pura ad Dei gloriam aliter exigit de te) manifestes. Nihil ostentes, nihil de te iactes. Et in qui te offendunt ac contemnunt, vide ne propterea irascaris, nec tristitorem solito postea vultum, nec cor minus beneuolum ad eos exhibeas. Mirare potius, quod non omnis creatura te persequitur in ultionem mei, hoc est, in tui ac sui omnium creatoris, quem tu offendere non formidas.

Humilitas vera quæ sit, & quomodo obtineatur: causæ quanam sint humilitatis: humiliatio item quam sit necessaria.

CANON XIX.

1. Tim. 1.

Creationis rerum omnium causa quæ.

Vita Christi qualis fuerat.

Psal. 41.
Luc. 22.
Io. 13. 1.
Eccl. 1. 3.

Pro humilitate itaque obtinenda, contemplare maiestatem, omnipotentiam, sapientiam & bonitatem meam, qui solus sum immortalis, solus immensus, infinitus, incircumscribitus, ineffabilis, incomprehensibilis: ex quo creatura omnes habent suum esse, quique omnes creaturas vniuersamq̄ machinam mundi vnico nutu in nihilum possum redigere, iterumq̄ in ordinem singula suam restituere. Itaque ego cum tantus sum, non ex necessitate aut indigentia, sed ex charitate & bonitate mea, rationales vos creaturas ad imaginem meam creavi, quibus benefacerem, beatitudinemq̄ meam communicarem: à qua gratia cum excidissetis peccando, indignosq̄ vos æternæ vitæ, nos verò ignis æterni fecissetis, propter vos incarnatus, triginta tribus annis famem, sitim, frigus, æstus, incommoda, labores, persecutiones, contemptum, opprobria, plagas, liuores, vulnera, dolores, nouissimè crucem & mortem, ut ab æterna vos morte redimerem, sustinui. Vixi ò filia in mundo non ut Deus, non ut potens, non ut gloriosus, sed tanquam omnium pauperimus, vilissimus, nouissimus, contempnissimus, doloribus & contumelijs varijs expositus, donec tandem morte occisus sui turpissima ac ignominiosissima qua mundus aestimabat me dignum, & quasi tam vita quam doctrina mea omnibus foret pestulens, prorsus ab hominum memoria iudicabat extinguendum, iugis assistente populi multitudine & insultante.

Ad hanc mortem sicut ceruus ad fontes aquarum, imò tui amore ò filia totus ebrius, cucurri. Non peperci mihi, laboris, doloris, pœnalitatisve aliquid fugiens. Nihil quod in rem tuam foret recusavi, tam charâ, tam prætiosam, te aestimans, et desiderio etiam desiderarem in mortem pro te animam meam tradere, corpus verò meum omni ex parte sauciandum vulneribus offerre. Ad hæc (quia ardentius stitibam tuam salutem) cupiebam sanguinem meum omnem pro te effundere.

Quod ita tandem effecti, ne vnam quidem guttam retinens. Quid nūc filia mihi pro
 iis rependis? Quid pro charitate mihi tanta retribuisti? Nonne ipsa es, quæ tot annis
 mihi ingrata me spernis, verba mea nauseas, laudes meas fallidis, præcepta trans-
 gredieris quæ licet tota erga me contumeliosa, tota immunda ac vilis, tota denique
 sordida, tot plena abominationibus, tamen me à te proscrisbis, instinctus meos re-
 spicis, cum creaturis fornicaris, donis meis abuteris? Quid quod licet ex grauissimis
 te peccatis, atque ab ipsa damnatione æterna (in qua multis iam annis iuste fuisses
 cremata, nisi mea te miseratio præuenisset) denuo toties liberauerim, à criminibus
 quoque multis, atque ab ipsa insuper peccandi voragine te præseruauerim, me ta-
 men contemnis ac deseris? Quid tandem quod tam vilis, misera, & sine me nihil es?
 Et quomodo audeas leuare faciem tuam erga me quem toties offendisti: tanto tem-
 pore spreuisti? Hæc dico ò filia, vt te ipsam agnoscas. Considera quàm vilis: in cor-
 pore sis atque foeda, quam polluta sit anima tua, quàm impurum denique cor tuum.
 Ad extremum quam indignis operibus quam facinorosis cogitationibus, quàm spur-
 cis atque impuris affectionibus tota sis immunda. Nihilominus tamen ego te ad-
 hæc sustineo, nihilominus tamen tibi benefaciens, te amo. Sed quamdiu? quousque
 sustinebo? quando te ipsam cognosces? Usquequo redire tardas? Quare te non humi-
 lias? Vides ne quod miserationes meas longius continere nequeas? Vides ne quo te
 vocauit vbi te plantaui? Vbi sunt fructus tui? Sentisne quomodo cunctas iniquitates
 & ingratitude tuas disimulo? Nec modo quoque ò filia hæc impropero, sed quasi
 tui amore languens, quasi tui egeas (cum nullius egeam) quasi sine te viuere nequi-
 eps, ad redamandum me pro me pro sola bonitate ac charitate mea te inuito: vt vel
 amando sentias, quid ego, quid tu sis, quanta ego tibi fecerim, & quam iniuriosa e-
 diuerso tu mihi reddideris. Ad hæc expendas, quam innumeræ sunt hodie in infer-
 no animæ, quibus (nisi prohibita fuisses per grauiam meam) multo deteriora me-
 ruiisses: aut si illæ parem tecum gratiam recepissent, te per gratitudinem longè ante-
 cederent. Si hæc omnia, hoc est, maiestatem meam & vilitatem tuam, atque rursus
 tuam superbiam in vilitate tua; in maiestate verò mea tantam aduerteris humili-
 tatem, qua pietati tui amore & tui causa exinaniti, non graue admodum tibi foret hu-
 miliari. Si, inquam, rectè attenderes, in quanta paupertate, abiectione & contemptu
 ego tam potens, tam diues, tam excelsus, puta maiestate immensus, & bonitate infi-
 nitus seruiem tibi exiguo adeoque vili homuncioni, & hoc cum tanta charitate,
 fidelitate atque desiderio, tanta in corde tuo erga me reuerentia, tanta nasceretur
 maiestatis meæ veneratio, quanta verbis non possit exprimi. Oriretur præterea in-
 satiabile in te desiderium ardentissimæque fidei me honorandi, colendi, exaltandi, te
 ipsam verò subiciendi, humiliandi, ac amore mei creaturis omnibus substernendi,
 contumelias, denique contemptum & iniurias ab omnibus sustinendi. Quamli-
 bet enim te humiliare: quantumlibet sustineres, nihil adhuc te æstimares pertulisse
 præ fidei & desiderio te ipsam deprimendi, me verò exaltandi, adeo vt eos præcipue
 etiam amares, qui te magis præmere ac spernere niterentur, propterea quod tuo
 desiderio tuaque humilitati in hoc seruirent quando te humiliarent. Si hæc filia nõ-
 eum in te sentis: cognosce quàm sis mihi ingrata, quàmque à vera humilitate remota,
 quæ est profunda cordis inclinatio in conspectu diuinæ maiestatis meæ, quam se-
 quitur sui contemptus, & velle pariter ab aliis vilis agnosci & contemni. Iterum
 moneo te filia, inspice humilitatem meam: & inde exemplum sume humiliatio-
 nis. Vide quomodo vitam meam & doctrinam mundus spreuerit, calumniatus sit

Humilitatis
 occasionem
 quæ nã cui-
 que præstet.

Psal. 14.

Psal. 1.

Amados
 esse qui nos
 persequun-
 tur.

Humilitas
 vera quæ fit.

& reprobaucrit, quomodo detraxerit omnibus sermonibus meis, quanta opprobria, illusiones, despectiones, derisiones pertulerim, tanquam reprobis & vilissimis & pro vilissimis: ingratis creaturis meis: Ego verò subsannatus & velut opprobrium hominum abiectus: neminem spreuerim, nec me excusauerim & contra dixerim. Vide etiam tu quæ digna es sperni, duritiam, negligentiam, peccata, ingratitudinem, instabilitatem, vilitatem & nihilitatem tuam. Gemo, plange, & conuulsis lachrymis coram me te ipsam argue.

Humilitatē
quænam fo-
reant.

Quæcumque tibi occurrunt, verte in materiam humiliationis tuæ. Vide ne tibi placeas: imò mirare potius, qui fieri possit vt vel alicui placeres si te rectè quis cognosceret. Dirige oculos cordis tui continuè in tuum non esse: & in tuum non habere, considera, quam nihil sis, & quod esse deberes & non es. Item quid non habetas & non possis, quam multa tibi desint: quam longè denique à vera & perfecta charitate, & à sanctorum perfectione distas: item quam dissimilis atque difformis es: simulq; considera quod prorsus nihil boni à te habes, sed sine medio à me solo bona omnia.

Quænam
quique ha-
beat à se
ipso.
Natura hu-
mana quid-
nam sit.
Mala occul-
ta vt homi-
nem humili-
cent.

Porro hæc sola tua sunt, hæc à te ipsa habes: videlicet, peccare, delinquere, detecere, egere, dona ac bona mea destruere ac perdere. Certissimum est enim, si naturam humanam in sua relinquerem libertate ac pronitate, nihil boni ageret, sed in deteriora semper laboretur: quandoquidem tam vehementer etiam à me prohibita ac retracta, ad malum adedò prona, vit. Siquidem natura humana nihil est, & nihil habet à se, & ad nihil tendit. Hæc consideratio si assidua fuerit, non parum conferret ad humilitatem. Accedere debet nihilominus alia humiliatio pro occultis ac tibi ignotis defectibus tuis, quæ plerumque (tamen si tu cæcutiens illos non depræhendas) graues sunt. Pro eis itaque ante pedes miserationum mearum prode & irremediabilem peccandi in te pronitatem infirmitatemque ex animo luge: nec vnquam aliter de te sentias, quàm de ea quæ in multis est rea & cæca, omniumq; ingratisima.

Laudes, vituperia, iudiciaque hominum quam vili facienda: quo iton eadem destinanda sint: amicis item Dei proprium quodnam esse soleat.

CANON XX.

DE hominibus, quid de te sentiant, quomodo te iudicent, nō occupes animum tuum, neq; horum iudicium formides, modo scieris, quantum in te fuerit, eis scandalum occasionem ve in te detrahendi non præbueris. Neque enim si laudaris melior, neq; si vituperaris prauior es: sed hoc es, quod ante oculos meos est. Propterea aliena laus non erigat te, neque vituperium contristet. Quid enim tibi laus conducit aliena? Nihil profectò, quæ vehementer etiam sapius nocet, vt pote tibi imponens, & inaniter te inflans. Aut contra. Quid contemptus, correptio, abiectio, obreftatio, damnatio, hominumq; persecutio tibi nocere potest? Itidem nihil. Quippe quæ profunt etiam, quæ te ad tui cognitionem reducant, nec parum ad humilitatem, vitæ morumq; emendationem conferunt. Inde enim disces cautius prudentiorq; inter homines viuere, & in hominibus nullam; in me verò omnem spem tuam locare. Iudicia igitur hominum non admodum curanda sunt, siue boni siue mali. Sine illos loqui, sine illos opinari. Tu in terra ad me cor tuum dirige, & lustrata conscientia tua, si nihil me offenderis, nihil me-

Laus vel vi-
tuperium a
vorum quid
cuique con-
ferat.

Iudicia ho-
minum quæ
vili facienda.